



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XIV. De occultis Dei judiciis considerandis, ne extollamur in bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Quid, sordide peccator, potes contradicere, exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti?

Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo, ut cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres:

Et ut ad veram subjectionem & humilitatem te jugiter dares, pati enterque proprium contemptum ferres.

## C A P U T XIV.

*De occultis Dei iudiciis considerandis,  
ne extollamur in bonis.*

i. **I**ntonas super me iudicia tua, Domine, & timore, ac tremore concutis omnia offa mea, & expavescit anima mea valde.

Sto attonitus, & considero, quia cæli non sunt mundi in conspectu tuo.

Si in Angelis reperiisti pravitatem,  
nec

nec tamen pepercisti ; quid fiet de  
me ?

Ceciderunt stellæ de cælo : & ego  
pulvis quid præsumo ?

Quorum opera videbantur lau-  
dabilia, ceciderunt ad infima : & qui  
comedebant panem Angelorum, vi-  
di filiis delectari porcorum.

2. Nulla est ergo sanctitas , si ma-  
num tuam, Domine, subtrahas.

Nulla prodest sapientia , si guber-  
nare desistas.

Nulla juvat fortitudo , si conser-  
vare desinas.

Nulla secura castitas , si eam non  
protegas.

Nulla propria prodest custodia , si  
non adfis tua sacra vigilantia.

Nam relicti , mergimur & peri-  
mus : visitati verò , erigimur & vi-  
vimus.

Instabiles quippe sumus , sed per  
te confirmamur : tepescimus , sed à  
te accendimur.

3. O quām humiliter & abjectè  
mihi de me ipso sentiendum est !  
quām

quàm nihil pendendum, si quid boni videar habere !

O quàm profundè submittere me  
debeo sub abyssalibus judiciis tuis,  
Domine; ubi nihil aliud me esse in-  
venio, quàm nihil & nihil !

O pondus immensum ! ô pelagus  
intransnatabile, ubi nihil de me re-  
perio, quàm in toto nihil !

Ubi est ergo latebra gloriæ; ubi  
confidentia de virtute concepta ?

Absorpta est omnis gloriatio va-  
na, in profunditate judiciorum tuo-  
rum super me.

4. Quid est omnis caro in confpe-  
ctu tuo ?

Numquid gloriabitur lutum con-  
tra formantem se ?

Quomodo potest erigi vanilo-  
quio, cuius cor in veritate subjectum  
est Deo ?

Non eum totus mundus eriget,  
quem Veritas sibi subjecit; nec om-  
nium laudantium ore movebitur,  
qui totam spem suam in Deo firma-  
vit.

Nam

Nam & ipsi qui loquuntur , ecce  
omnes nihil ; deficient enim cum  
sonitu verborum : Veritas autem  
Domini manet in æternum.

C A P U T X V.

*Qualiter standum sit ac dicendum in  
omni re desiderabili.*

1. **F**illi , sic dicas in omni re : Do-  
mine , si tibi placitum fuerit,  
fiat hoc ita.

Domine , si fuerit honor tuus , fiat  
hoc in nomine tuo.

Domine , si mihi videris expedire ,  
& utile esse probaveris ; tunc dona  
mihi hoc uti ad honorem tuum .

Sed si mihi nocivum fore cognos-  
ceris , nec animæ meæ saluti pro-  
desse , aufer à me tale desiderium .

Non enim omne desiderium est à  
Spiritu Sancto , etiam si homini vi-  
deatur rectum & bonum .

Difficile est pro vero judicare , u-  
trum spiritus bonus , an alienus te  
impellat ad desiderandum hoc vel

K

illud: